1542 ię 2. 9bris

# Joannes Oczielski Bonae Reginae Poloniae

Sacratmae Regiralis Mtis V. manum procidens exosculor.

129

Quae Sub his indiciis, quibus cum equestri Ordine major con servandi dabatur facultas. Tashiki fides intelligere potuit Sacratmae Mti V. per me Significata esse voluit.

Docet Suos Dominus Castellanus per Nuncios ubi Litteris agere non licet, ut unum Senciant, Simulq Sint, ac Se catervatim Sequantur. Si qui ignari essent quid agi debeant quove modo ejus votis Satisfieri monstrat, quorum Consilio Spiritug utantur, modo audacter quod illis Suadebitur, aggredere non dubitent rem Omnem Agi nihil se privati habere, cur odia Principum cur labores cur impensas Subeat Reipublicae et maxime equestris Ordinis injuriae defensum assumpsisse. Videt enim libertatem opprimi justitiam inverti, et omnia praepostero ordine agi, ardere jam vicinum Litphaniae parietem occurrendum huic malo ad nos serpenti, non deesse genti nostrae facultates non Jura quibus libertatem tueri possent modo, non desit Animus. Et si quit in his proximis particularibus conventibus contra Se agi viderint in eligendis Nunciorum numero habituros promptam disvendi Conventus rationem, quod Scilicet Senatorij ordinis loca vacent, facile demum Conatus adversariorum ludibrio futuros, dum Cognitum fuerit nihil votis eorum feliciter cessisse ita illi contemptum hi vero authoritatem assequuturi.

Iubet praeterea etiam Statuta de Spiritualibus executioni demandari, quemadmodum de Secularibus dignitatibus hac=tenus executum est, presertim cum non ad alium usum preter luxum vota mortuorum converti videant, parum vel nihil penitus prodesse Reipubcae etiam si unus omnia beneficia possideat obes=

obesse vero plurimum.

Principes legati esse dicunt Joannes Strzezowski Sta.$^{us}$ Ligieza Trystaili, Carmierniczki Senior, Bzicki vero Sub praetextu procurationis in utroq districtu nihil praetermisit, qd Sui domini sententiae non optime correspondeat, haec a Taskicki.

Ridicule profecto narravit quidam mihi ex Franciscanis Tarnoviensibus (: quos Bernardinos vocamus.) cum ex variis colloquiis, quae mutuo nocte quadam apud Thaskicki dormiens habebamus, facta fuisset domini Castellani mentio, nararetq mihi longo ordine quo pacto opidum Suum munitius ampliusq efficere eorumq coenobium intra Civitatis Moenia includere vellet, quaesitus tandem a me si inclemosinis, ita ut in munitionibus tantam ab eo sentiunt liberalitatem, neglexerat inquit nos aliquantisper, sed nunc frequentius nobis ejus nomine offertur, nec diu est cum conjugem ejus injusseremus, summopere nos rogavit perquandam Bonemam domus Suae magistram, ut eum Orationibus fratrum quam dilligentissime com̃endaremus. instare sibi magnos labores ex odio Reginae et Archiepiscopi qd contra illum conceperunt, rogarent ut Dei auxilio posset potentiam illor. infringere et Rempub. bono ordine stabilire. Quaesivi tandem an orarent modo eis praescripto addimus inquit conditionem, si malo proposito Regina et Archiepiscopus id faceret. Dii boni quantum risi festivitatem hujus religiosissimi fratris vel potius totius Tarnoviens. Monasterio qui nisi modum divinitati benignae seu Conditionem ut ipsi agunt, imponerunt, facile Deum ignorantia a recto et justo discessurum putant, video profecto, modo aliis aliquid cari porrigat (: nam non absre observans: dicunt :) indignissima queq a Deo exacturos et nisi Deus perfectissimus cordium Scrutator esset, vererer ne hi observan.$^{tes}$ justissimos et piissimos quosvis actus coram Deo maximo supplicationibus suis inverterent. Subiicio Caput meum et fortunas meas pedibus M.tis V.$^{ae}$ Sacratissimae et Czerkiew Die animar. M. D. XL II.$^{o}$ — Ligiae